Qui autem Pſoram curare poteſt, numquid & ille ſcabiem ſanare poterit? Exiſtimo, nec tamen experientia longe abeſt. Vide quæ ſupra dicta ſunt de Lepra.

FAVVS, ACHOR, CAPITIS Vlcera Manantia.

Fauum, Achores ac reliqua capitis Manantia vlcera, vel iam confirmata vel aliis medicamentis perperam adhibitis exaſperata, mundificantia quidem interna nempe ad ſanationes diſponunt, ſed nullum tam felix eſt mundificans, quin auerruncatis cauſis etiam malum ipſum externum tollas protinus. Nec ſemper prodeſt, præſertim in pueris eiuſmodi Manantia Vlcera ad curationes protrahere, præſertim cum ſæpiſſime vſu euenerit, multo plus periculi inde eſſe & noxæ, quam ſalutis & tranquillitatis.

Nonnulli per vitras picatas cum arſenico mixtas eradicare conantur iſta mala, ſed propterea cedendo plane fuerunt noxia.

In omnibus hiſce præſtantiſſima cura: præmiſſis præmittendis, petitur à duobus.

I. Eſt Vrina aprugna cum veſica ſua exempta & inuerſa addito cerebro aprugno, quę diligenter munita aliquandiu fouenda in camino, vt fumo indurari queat, cuius medulla remanens illita exulcerato capiti, aliquoties repetẽdo ſolidiſſimum malum tollit.

II. Eſt Balſamus ſulphuris qui hæc & ſimilia vlcuſcula cito tutoque tollit.

VERRVCA.

Verrucas cuiuſcunque generis tollit aqua ſupernatans truncis quercuũ bipenne detruncatarũ.